



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quomodo sacramenta & opera confortant fidem. tit. 60

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Sacramenta non efficiunt vel merentur salutem, sed salus per Christum nobis promerita, fide & Sacramentis apprehenditur & dispensatur.

*QUOMODO SACRAMENTA
& opera confortant fidem.*

TITVLVS LX.



RImò Deus ante omnia exigit, vt credamus verbo suo, scilicet, quòd nos sic dilexerit, vt miserit nobis filium suum demptorem, Ioan. 3. Et quòd mortuus sit pro peccatis nostris, & iustitia nobis sit coram patre, Rom. 5. & 1. Cor. 1. sine hac fide impossibile est placere Deo, Heb. 11. Subindè quatenus hæc fides semper in memoria sit, & auribus per prædicationem verbi inculcetur quotidè: sed quoniam imbecilles sumus & obliuiosi, ordinauit Deus Sacramenta, & signa gratiæ nobis per Christum impertire, quæ ante oculos ponuntur, quatenus fides nostris confortetur erga Christum.

Sic credo remissionem peccatorum propter Christum: Hæc fides confortatur per Baptismum, vt dicitur: baptizatus fuero, certus fio de remissione peccatorum & salute. Nam sic dicit Marci vltim. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &cæt. Subindè credo quòd Christus me seruabit vsq; ad finem in vera Catholica Ecclesia iuxta illud Philip. 1. Qui incepit in vobis bonum operum, perficiet. &c. Et hæc fides confortatur per confirmationem verbi, datur Spiritus sanctus in roborem. Sic Apostolis in die Pentecostes, Act. 2. Credo Christi Euangelium & verbum Dei esse verum, sine omni mendacio. Nam impossibile est Deum fore mendacem, Hebræ. 6. Roman. 3. Hæc fides confortatur per frequentem prædicationem, quam à Catholicis peccatis ministris audio, Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei

Del, &c. Credo quòd corpus Christi sit traditum pro peccatis meis & sanguis fusus, Matth. 26. Hæc fides confortatur, quoties ad memoriam illius communi- co, & gratias ago, sciens, quòd Christus in me manet, & ego in eo, Ioan. 6. nam illi incorporor & vnior. At si Deus pro nobis, & nobiscum est, quis contra nos? Roman. 8.

Credo remissionem peccatorum mihi exhiberi propter Christum, quoties concupiero: at hæc fides confortatur, quãdò pœniteo, & cor pœnitens habue- ro. Nam sic dicit propheta Psalm. 50. Cor contritum & humiliatum &cæt. Etiam pœnitentia confortat fi- dem de remissione. Credo statum legitimũ matrimo- nij Deo placere, quòd sit sine peccato, sicut nominat Apostolus Hebræor. 13. Cubile impollutum. Hæc fides confortatur, dùm pacificè viuo cum coniuge, sciens Deum benedixisse hunc statum, & malè habe- re Deum, si qui fuerint fornicatores. &cæt. Et mu- lier saluatur per generationem filiorum, & pater, si in fide illos educauerit, sicut dicit Apostolus. Credo Deum condonare omnia peccata, quæ fiunt corde, oculis, auribus, ore, manibus, pedibus, & toto cor- pore, id est, quòd non solùm remittat peccata quæ fiunt corde aut ore, &cæt. sed omnia, si dolent suffi- cienter, quia ex semine peccatrice nati, Psalm. 50. Omnia nostra membra quid sunt, nisi peccati instru- menta? At hæc fides confortatur per sacram vnctio- nem, vbi omnia membra principaliora vnuntur. Et per hæc media Deus remittit peccata, & donat sani- tatem, sicut Apostolus Iacobus 5. capite dicit. Sum- ma, etsi fides potissima sit, & primò exigatur: attamè per hæc media apprehendit & confortatur, quatenus homo perseueret, & consolatus sit vsq; in finem, &c. Non tamen hæc separanda sunt, aut diuidenda, id est, fides à Sacramentis, nec Sacramenta à fide, quãdò haberi possunt.